This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lt
6
509
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

St 6.509

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 STEPHEN SALISBURY, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

Jahresbericht

über das

Gymnasium Dionysianum

zu

Rheine.

XXII.

Schuljahr 1883 — 1884.

Von dem

Direktor des Gymnasiums

Dr. Grosfeld.

Inhalt:

1. Quam rationem Terentius in contaminatis, quae dicuntur, fabulis componendis secutus esse videatur. Pars I. quae Adelphos complectitur. Vom Gymnasiallehrer Josef Klasen.
2. Schulnachrichten. Vom Direktor.

Rheine.

Druck von Josef Altmeppen.

1884.

1884. Progr. № 333.

St 6.30

HARVARD COLLEGE
AUG 1902
LIBRARY

Salisbury fund

Quam rationem Terentius in contaminatis, quae dicuntur, fabulis componendis secutus esse videatur.

Pars I, quae Adelphos complectitur.

Ad quaestionem hanc recte instituendam maximi momenti sunt prologi Terentianis singulis fabulis praemissi, qui eo maxime discrepant a Plautinis aliorumque poetarum comicorum Romanorum, quod non breviter argumentum, i. e. rerum, quae in fabulis aguntur, summam enarrant, sed ipsius poetae commodo inserviunt. Is enim gravissimis causis ductus ab illa poetarum usitata ratione recessit, quod ipse manifeste professus est in Andr. prol. v. 1. sqq.:

Poeta cum primum animum ad scribendum adpulit,
Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent quas fecisset fabulas.
Verum aliter evenire multo intellegit:
Nam in prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret,[1]) sed qui malivoli
Veteris poetae maledictis respondeat.

et in Adelph. prol. v. 22 sq.:

Dehinc ne exspectetis argumentum fabulae:
Senes qui primi venient, ei partem aperient.

Omissa igitur illa usitatissima ratione malevorum iudicum a se propellit iniurias et maxime obiurganti illi poetae veteri Luscio Lanuvino respondet, qui Terentio quidem iudice (Eun. prol. v. 7):

. . . „bene vortendo et easdem scribendo male
Ex graecis bonis latinas fecit non bonas“ (fabulas.)

Dederat autem vitio Luscius Terentio haec: „eius fabulas esse levi scriptura et tenui

---

[1]) Haec verba docent solitos fuisse poetas fabularum argumenta, antequam ipsae agerentur, cum spectatoribus communicare. Itaque non intellego, quo iure G. A. Beckerus in „quaestt. de comic. Roman. fabulis maxime Plautinis“ — Lipsiae 1837. pag. 92, adnot. — suspicatus sit „Menandri prologos Terentianis propiores fuisse quam Plautinis.“ cf. Donatum ad h. l.: Non qui argumentum narret.] „Quod vere prologi est officium.“

oratione" (Phorm. prol. v. 5.), „homines nobiles eum adiutare assidueque una scribere" (Adelph. prol. v. 15, 16.), maxime vero vitio verterat poetae, quod fabulas suas contaminaret (Andr. prol. v. 16., Heaut. prol. v. 17.) Factum id esse Terentius non negat, sed libere profitetur se sequi auctores probatissimos Naevium, Plautum, Ennium, qui iam ante se in fabulis faciendis eandem rationem instituerint. (cf. Andr. prol. v. 18 sqq.) Mavult noster „horum neglegentiam aemulari quam malevolorum illorum obtrectatorum obscuram diligentiam". Ex qua poetae defensione licet intellegere, quanta admiratione Terenti temporibus Romani literas graecas amplexi sint, cum multos fuisse appareat tanta diligentia et tam anxie poetarum graecorum in fabulis transferendis vestigia prementes, ut neque quidquam mutare auderent, neque ulla in re ab exemplo graeco recedendum putarent, sed eos reprehenderent graviter, qui ipsorum ingenio freti in fabulis vertendis liberius versarentur.[2])

Constat igitur ipsius poetae expressis verbis eum contaminasse fabulas. Hoc ita intellegendum est eum in fabulam, quam in latinum sermonem transposuit, aliquam aut plures partes ex alia fabula eademque graeca recepisse et has diversas partes coniunxisse. Nam quod Donatus aut quisquis fuit ille scholiasta ad Terenti Andr. V., 5, v. 3 adnotavit: „hanc (unam) sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit. Et hoc est quod dicitur contaminari non decere fabulas" – ipse excogitasse videtur, neque recte dixit, nam Terentius non id defendit, quod aliorum poetarum nonnullas sententias fabulis suis intexuit, sed quod diversarum fabularum partes arte quadam in unam contraxit.[3]) (cff. Andr. prol. v. 13, sqq., Heaut. prol. v. 16 –21.)

Haec est enim propria et principalis verbi contaminandi vis: facere ut res diversae inter se tangant et contactu facto coalescant. Itaque „fabulas contaminare" est fabulas coniungere. Illa igitur huius verbi significatio, quae postea sola viguit, ut sit: maculare, foedare, inquinare, polluere antiquissimis temporibus aut non exstitit aut certe non sola fuit, quod duo reliqui loci, quibus apud Terentium hoc verbum invenitur, demonstrant. Quorum alter (Heaut. prol v. 17) eadem, quam modo proposui, vi instructum verbum exhibet, alter (Eun. III., 5, 4.) notione paulo graviore: „ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua." Equidem Grauertum sequor, qui hoc loco foedandi a verbo vim abesse censet et Andr. V., 5, v. 5 confert: „si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit", quem ego quoque locum simillimum dixerim.

Cum igitur Terentius se defendens atque purgans illis malevolorum hominum iniuriis in prologis respondet, indicare solet, quo modo quam docturus est fabula nata sit qualisque fuerit ratio transferendi. Adversariis autem cum id maximam reprehendendi causam afferret, quod poeta latinus fabulas contaminaret, nimirum hic bonam hanc rationem et gravissimorum auctorum exemplis comprobatam esse ostendit nobisque exop-

[2]) cf. Ladevici „über den Kanon des Volcatius Sedigitus" Neostrel. 1842., pag. 10 sqq.

[3]) Hanc contaminandi verbi vim recte demonstravit et proposuit Ihnius in quaestionibus suis Terentianis — Bonnae 1843 — pag. 7, — itaque reiecit scrupulum Grauerti, qui in „Anal. histor. et philolog. I." Monast. 1833 — primus accurate et diligenter in hanc rem inquisivit (pag. 118 — 121). Neque tamen probantur haec Könighoffio „De ratione quam Terentius in fabulis Graecis Latine convertendis secutus est", Monast. Eifl. 1843. Vide, sis, eius comment. pag. 30 sqq. et 67.

tatam copiam praebet indagandi, quam rationem in diversis plurium fabularum partibus coniungendis poeta secutus sit. Contaminatas esse a se fabulas tres manifeste profitetur Terentius, Andriam scilicet, (Andr. prol. v. 9, v. 13 sqq.), Eunuchum (Eun. prol. v. 30 sqq.), Adelphos (Adelph. prol. v. 6 sqq.) Reliquas tres contaminatas esse nec adest ipsius poetae indicium, neque veri simile esse videtur, nam Heautontimorumenon vocat ipse „ex integra graeca integram comoediam" (id est a nullo tactam) et de Phormione se nomen tantum graecae mutasse docet his expressis verbis, prol. v. 24, 25:

„Adporto novam
Epidicazomenon quam vocant comoediam
Graeci, Latini Phormionem nominant,
Quia primas partis qui aget, is erit Phormio
Parasitus, per quem res geretur maxime".

Quid de Hecyra statuendum sit, nunc quidem in suspenso relinquam.

Haec in prologis de fabularum condicione poetae indicia maximae auctoritatis esse eis, qui contaminationis vestigia quaerunt, unusquisque intellegit: quae si non adessent, omnia tenerentur tenebris, neque enim Donati, quae feruntur, adnotationes neque admodum exiguae illae quidem reliquiae, quae ex ipsis fabulis graecis, latinarum exemplis, nobis servatae sunt, sufficerent ad poetae artem in contaminandis fabulis perspicuam plane cognoscendam. Ita autem summi nobis sunt pretii loci illi, quibus verba graeca latinis conferuntur. Sed quamquam commentarii illi, qui Donati nomine feruntur, in intellegendis et emendandis Terenti comoediis praecipuum locum tenent, tamen caute eis utendum est.[4]) Constat enim eos esse farraginem quandam ex multis aliorum grammaticorum adnotatiunculis conflatam,[5]) e quibus quae Donati sint, summa cura eruendae sunt.

Iam nunc, cum quae praemittenda esse visa sunt breviter exposuerim, transire licet ad rem propositam. Quaeritur enim, quam Terentius viam in fabulis illis contaminandis institerit. Apparet autem ex eis, quae supra exposui, deinceps in quaestionem vocandas esse Andriam, Eunuchum, Adelphos. Sed ab hac disserendi initium facere liceat.

Adelphoe.

Iucundissimam hanc fabulam Terentius fere totam secundum Menandri Adelphos latine convertit, si quidem didascaliae et Donati testimonio fidem habemus. Quanta diligentia poeta latinus graeci poetae vestigia presserit, Donato duce postea videbimus adiectis una exiguis quidem illis graecae reliquiis. Principio autem dicendum est Teren-

---

[4]) cf. Umpfenbach. edit. Terent., apparatu critico instr., 1870, praef. pag. XXXVIII. sqq.

[5]) Euanthi Aeli Donati aequalis commentarium, cuius mentionem facit Rufinus, in scholia Donatiana influxisse scite suspicatus est Usener in Nov. Mus. Rhen. XXIII. pag. 495 sqq.

tium, cum quas fecisset fabulas populo gratiores et acceptiores reddere studeret,[6]) in hac quoque contaminasse diversa. Sumpsit enim sibi in hanc fabulam particulam aliquam ex alius poetae alia graeca. Quod qua ratione fecerit, ut intellegamus, ipsum audiamus necesse est. Exponit autem in prologi vv. 6—11, adversariorum crimina iniquosque sermones a se propulsaturus de ea, quam in suam Adelphos transposuit parte expressis verbis his:

Synapothnescontes Diphili comoediast:
Eam commorientes Plautus fecit fabulam.
In Graeca adulescens est, qui lenoni eripit
Meretricem in prima fabula: eum Plautus locum
Reliquit integrum, hic eum[7]) sumpsit sibi
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.

Accuratius igitur quam in Andriae et Eunuchi prologis poeta in hac fabula, qua ratione graecam latine converterit, indicat, itaque fieri posse puto, ut quantum huius fabulae ad Diphili Synapothnesconton argumentum pertineat, aperte demonstretur. Docemur enim a poeta Plautum Diphili comoediam latine reddidisse Commorientes, sed ita, ut eam partem fabulae, qua adulescens lenoni meretricem eripuit, integram relinqueret. Hanc autem partem Terentius in suam Adelphos ita inseruit, ut „verbum de verbo expressum efferret."

Sed priusquam eam partem, quae e Diphili fabula libata est, definiamus, non inutile esse videtur paucis exponere, quid de eadem re statuerint ii, qui ante nos in contaminationis vestigiis demonstrandis operam posuerunt. Ac Grauertus quidem (in Analect. pag. 129 sqq.) et Car. Frid. Hermannus in commentatione de Terenti Adelphis[8]) una cum raptu illo psaltriae virginis lenonis quoque personam a Menandri Adelphon argumento alienam fuisse censuerunt. Itaque Grauerto, l. c., haud dubium esse videtur, quin eae fabulae partes, in quibus Sannio leno loquens inducitur, e Diphilo ducendae sint. Idem vir doctissimus admiratur poetae latini magnam artem, qua utriusque fabulae partes ita coniunxerit, ut quamvis diversa tamen singula inter se commodissime convenirent. Cum igitur pro certo haberet lenonem non fuisse in Menandri fabula, actus secundi duas priores partes, II, 1 et 2, ab ea fabula abiudicavit et Terentianae fabulae scenae II., 3 initio demum Menandri exemplum repeti existimavit, sed ita, ut cum semel Terentius illam partem ex Diphili comoedia decerptam transtulisset, primariam quoque scenae tertiae et quartae partem ipsius poetae latini ingenio tribueret. Cum autem Grauerto ita iudicanti difficultatem pararet haud mediocrem Donati ad Terentiani lenonis sermonem, II. 1. v. 46, adnotatio, qua more suo Donatus verba latina Menandri grae-

---

[6]) cf. Andr. prol. v. 1—3:

Poëta cum primum animum ad scribendum adpulit,
Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent quas fecisset fabulas.

[7]) Ita legendum esse pro: „eum hic locum" metri ratione habita probavit mihi Sauppius. Ritschelius: eum nunc hic sumpsit sibi.

[8]) Indices lectt. Acad. Marburg. 1838.

cis contulit,[9]) nimia quadam subtilitate sententiam suam ita tueri studet, ut id tantum inde colligi posse dicat: lenonem apud Menandrum quoque vapulasse. Sed in hac re viam ingressus est Grauertus prorsus alienam ab omni illa ratione, quam in reliqua commentatione secutus est. Nam cum in omnibus Terenti fabulis contaminatis Donati verba ad certos fabulae versus adscripta accurate et diligenter interpretando graecae cuiusque argumentum repetere atque restituere velit, hoc loco Donati adnotationem parum accurate explicavit. Nam secutus quam in ceteris fabulis illustrandis adamavit rationem dicere debebat ex verbis, quibus Donatus Terentiani lenonis sermonem graeco contulit, intellegi: in graeca quoque lenonem narrasse se (ab adulescente) verberatum esse.[10])

Fines autem eos, quibus Grauertus se continuit, longe egressus est Hermannus, qui l. c. pag. III. adnot. 11, Donatum comparantem verba graeca non lenonis Menandrei sermonem attulisse censet, sed eum unum versum, qui inter Menandreos solus aliquam similitudinem cum Diphileis illis apud Terentium habuerit. Hermannus enim maiorem etiam partem Terentianae fabulae e Diphili Commorientibus petitam esse censet, cum quas scenas Grauertus e Menandro ductas esse putat, eas neglecto altero Donati, ad II., 4. v. 11, testimonio[11]) partim e Diphili fabula translatas, partim a Terentio ipso additas esse sibi persuaserit, ita ut „omnia argumenta, quibus aliquis contendat apud Menandrum inter primum actum et eum, qui Terentio tertius est, aliquid interiectum fuisse inania esse“ pro certo habeat. (pag. VIII.) Hanc singularem de graecae Adelphon argumento sententiam ea de causa proposuit Hermannus, ut quod de actibus per fabulam latinam distribuendis iudicat, aliquo argumento comprobare possit. Censet enim tres postremos Terentianae fabulae actus apud Menandrum in quattuor divisos fuisse. Quare ei non dubium esse videtur, quin qui apud Terentium tres actus exstant, in quattuor describendi sint. Cum deinde duo priores Terentianae fabulae actus artius ei cohaerere videantur, omnia recte se habere arbitratur, si „raptus psaltriae“ inter duos illos actus „embolii instar“ interposita fuit. Existimat enim vir singulari quodam ingenii acumine insignis nihil probabilius esse „quam antiquiores comicos ipsos prospexisse, ut in actuum suorum commissuris eius modi potissimum scenas ponerent, quae peculiaribus facetiis morumque descriptionibus festivis extra reliquae actionis tenorem cum aliquo lepore eminerent, eoque facto simul et actus distinguerent et spectatores perpetuitate quadam fabulae mirifice retinerent.“ Sed quae Hermannus hoc loco nimia quadam sagacitate enucleavit et satis subtiliter proposuit in Terenti fabulas ut cadant fieri non potest, ob eam maxime causam, quia apertum est poetam nostrum nihil tanto opere studuisse quam ut exempla graeca, quantum posset, arte aequaret. Itaque his quoque missis investigemus, quaenam Terentianae pars Diphili sit.

---

[9]) Quae Donatus graeca affert corruptela adeo depravata sunt, ut eis vix subveniri posse videatur, itaque non iuvat exscribere.

[10]) Nam in hunc modum Donati verba explicanda esse ipsa ratione probari videtur, cum nihil verius definire possimus. Equidem non video, quo iure Teuffelius in libro illo, quem „Studien und Charakteristiken zur Literatur“ inscripsit — (Lipsiae 1871.) — pag. 284., Grauerti sententiam sustentare velit. Nam re ipsa effici videtur Donatum eiusdem personae verba comparasse latina cum graecis.

[11]) Donatus: Menander, inquit, mori eum (Ctesiphonem) voluisse fingit, Terentius fugere.

Terentius autem (prol. v. 6. sqq.) se eum tantum locum, quo „adulescens lenoni eripit meretricem in prima fabula“ e Diphili Commorientibus in suam Adelphos intulisse profitetur. Neque vero, si fabularum componendarum leges respicimus, hanc permagnam partem fuisse veri simile est. Nam si Plautus Diphili comoediam Commorientes transtulit, non potuit fieri, ut ea omnia, quae Terentius Grauerto quidem et Hermanno iudicibus e Diphilea in suam Adelphos deprompsit, omitteret. Nihil autem praeter hunc locum neglectum illum quidem a Plauto se suae fabulae intexuisse manifeste declarat Terentius. Et collata Terentiana Menandri fabulae argumentum hoc fere fuisse pro certo affirmari potest: In actu primo, quem Donatus protasin vocat,[12]) utriusque fratris senis (Micionis et Demeae secundum Terentium) mores atque liberos instituendi et educandi diversissimae illae rationes descripta fuerunt. Sequitur epitasis, qua expositum fuit, quaenam falsae opiniones ex raptu illo psaltriae exortae sint. Demea enim pro certo habet Aeschinum eripuisse lenoni citharistriam sibi soli, Ctesiphonem autem filium, quo admodum „patrissante“ delectatur, esse adulescentem parcum atque sobrium. Sostrata deinde, cuius filiam Pamphilam Aeschinus ante decem menses compressit, audito Aeschini facinore sollicitudine et cura vexatur excruciaturque, ne meretriciis novis amoribus obstrictus Aeschinus Pamphilae fidem mutet. Quae omnes difficultates ita removentur, ut primum quidem Sostrata curis illis molestissimis liberetur per Micionem, qui virginem non Aeschini sed Ctesiphonis esse docet. Deinde vero Demea casu quodam Ctesiphonem suum intus in Micionis aedibus cum meretrice illa bacchantem et potantem invenit.[13]) Denique catastrophe, actus V., vertitur in eis, quae Demeae errore detecto consecuta sunt, i. e. in saevientis illis senis clamoribus et in repente mitigato ac plane mutato eius animo, quo factum est, ut omnia ad finem prosperum deducerentur.

Vides igitur meretricem ab Aeschino lenoni vi ereptam, ut videtur sibi, re ipsa autem, qua Ctesipho frater delectaretur, totius fabulae, cum graecae tum latinae, actionis, ut ita dicam, summam adeo efficere, ut ea sublata Menandri fabulam exsistere non potuisse perspicuum sit.[14]) Sed quam Terentius in publico ostendit ereptam, de ea virgine in Menandri Adelphis expressis quantum satis verbis expositum fuisse licet conicere.

---

[12]) Fabulam a veteribus grammaticis in quattuor partes divisam fuisse testatur Donatus, fragm. de comoedia et tragoedia (apud Westerhov. edit. mai. pag. LIX.), et Euanthius (ibid. pag. LVI.). Sunt autem partes hae: prologus, protasis, epitasis, catastrophe. Vide praeterea Donati praef. in Adelph.: „in hac prologus aliquanto lenior inducitur: qui magis etiam in se purgando quam in adversariis laedendis est occupatus. Protasis est turbulenta, epitasis clamosa, catastrophe lenis.“ Ipsae autem fabulae erant aut motoriae, aut stationariae, aut mistae. cf. Io. Calphurnii V. Cl. in Heautontimorumenon prolegomena: „Illud animadvertendum, omnes Terentianas fabulas ex utroque genere mistas praeter hanc. Nam comoediae aut motoriae sunt, aut statariae, aut mistae. Motoriae, turbulentae: Statariae, quietiores: Mistae ex utroque actu consistentes.

[13]) Hic actionis connexus docet, aliis rationibus praetermissis, actus quinti exordium non inde posse duci, unde plerisque videtur, a versu „Edepol, Syrisce, te curasti molliter“, qui vulgo fertur V., 1, quoniam eo loco neque actio satis iam implicata neque proscenium vacuum est. Sed hoc ipso loco, sec. Erasm. V., 3, ubi et proscenium ab omnibus personis vacuum et Demeae error ad liquidum perductus est, cum Donato, Daceria, aliis actus V. initium constituendum esse videtur.

[14]) cf. Meineki: „Menandri et Philemonis reliquiae“, pag. 1.

Quem raptum, quippe qui poetae nostro exoptatissimam daret potestatem fabulae commodissime augendae spectantiumque Romanorum iudicio magis probandae, e Diphili Commorientibus suae fabulae argumento inserere non dubitavit. Nihil autem obstat, quo minus lenonis personam in Menandrea quoque locum habuisse pro certo affirmemus. Suspicari etiam licet, quod ipsa re effici videtur, nisi lenonem in Menandri Adelphis invenisset, Terentium illam partem e Diphili fabula petitam transponere non potuisse.

His, quae huc usque exposui, adducor, ut assentiar Ihnio, qui (Quaestiones Terent. pag. 27) finibus longe artioribus ea, quae Diphili sunt, circumscripsit. Nihil enim praeter actus II. 1, v. 1—42 Diphilo tribuendum est. Is enim est locus ille, quo adulescens meretricem lenoni vi ereptam domum suam abducit. Haec autem Plautus, cum Diphili Synapothnescontas latine convertit Commorientes, facile ita potuit omittere, ut pro ipso raptu eius rei narrationem substitueret et hoc pacto fabulae argumento satisfaceret. Neque secus a Menandro res instituta esse videtur; ereptio enim non ipsa acta, sed narrata est.

Neque vero, cum res ad totius fabulae argumentum vehementer pertineret, satis fuit Demeam violentissime altercantem Micioni paucis tantum Aeschini facinus obicere, id quod Grauerto placuit statuere (pag. 132), neque Ihnius recte mihi videtur censere verba illa Sannionis Terentiani, quae leguntur II. 1, 42 sqq.:

Pro supreme Juppiter!
Minime miror qui insanire occipiunt ex iniuria.
Domo me eripuit, verberavit, me invito abduxit meam cet.

a spectantibus bene intellegi potuisse, ut rixa illa vehementissima neque ipsa acta neque enarrata esset. Nam cum ea, quae hoc loco leno lamentatur, cum turbis illis modo actis tam arte cohaereant, ut ne nomen quidem adulescentis, a quo leno verberatus est, commemoretur, et cum praeterea omnia haec a lenone Terentiano ut satis cognita afferantur, hoc mihi videtur certum posse constitui apud Menandrum lenonis sermonem alio modo institutum fuisse atque apud Terentium. Cum igitur in Menandri fabula virgo non coram spectantibus ab adulescente erepta domumque abducta, sed verbis tantum de vehementissima illa rixa expositum esset, veri simile est eam fabulae partem a poeta graeco ita esse auctam atque amplificatam, ut lenonem induceret argentum pro erepta meretrice efflagitantem, qui uberius de Aeschini facinore spectatores edoceret.

Rectissime autem Ihnius illa Donati verba, quibus Menandreae fabulae versum corruptissimum illum quidem, sed ad sententiam nostram probandam plane sufficientem latino confert (ad II. 1, 45) ita interpretatus est, ut lenonem in graeca quoque locum habuisse et se vapulasse questum esse inde colligeret.[15])

---

[15]) Versus ille Terentianus, quocum Donatus graecum comparat, est hic: „homini misero plus quin„gentos colaphos infregit mihi". Hoc loco „infregit" non recte dici unusquisque intelleget, qui eius verbi vim perpenderit. Conferre quidem solent interpretes doctissimi huic loco illud Plini Nat. hist. VIII. 36 (rec. Detlefsen): „ac saepe in harena colapho infracto exanimantur (ursi)". Qui locus aliter comparatus esse videtur. Nam cum proxime antecedant haec: „Invalidissimum urso caput, quod leoni firmissimum", recte fortasse dices supplendum esse „capite" et legendum: „capite colapho infracto exanimantur ursi". Nisi fallor, Sauppius in scholis suis Terentianis locum illum Plinianum ita interpretatus

Sed nimirum, si scenam II. 1 comparaveris cum I. 2, in rerum, quae in proscenio aguntur, consecutione, temporis respectu habito, videbitur aliqua difficultas inesse. Nam manifeste Demea (I. 2, v. 8—13) his verbis:

„Fores effregit atque in aedes inruit
Alienas: ipsum dominum atque omnem familiam
Mulcavit usque ad mortem: eripuit mulierem
Quam amabat. clamant omnes indignissume
Factum esse: hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere in orest omni populo"

(sc. Aeschinum mulierem vi arripuisse) ea iam facta atque perpetrata esse indicat, quae II. 1, 1 sqq. demum in scena aguntur. Itaque hoc loco contaminatae fabulae vestigia exstant satis aperta et possunt nobis esse exemplo in demonstranda illa ratione, qua Terentius partem aliquam ex alia graeca in eam, quam latine vertit, fabulam transposuit et coniunxit partes inter se discrepantes. Cum enim in prima fabula (II. 1 et 2) Menandri argumentum accurate et diligenter expressisset, hoc ipso loco (II. 1, 1—42) interposuit eam, quam e Diphili fabula petitam esse intelleximus, partem, sed ita, ut quae antea Demea Micioni fratri acta iam et gesta enarravit, ea hac demum scena ob spectatorum oculos obicerentur. Quae temporis ratione habita cum inter se vehementer discrepent, tamen maluit poeta hanc admittere neglegentiunculam, quam in ipso fabulae exordio longius a Menandri argumento discedere. Itaque haec quoque res indicio esse poterit Terentium excepta illa, quae e Diphili comoedia decerpta est, particula accurate Menandri exemplum secutum esse. Nam temporum ordinem turbatum esse manifestum est, quamvis concedi possit multum temporis in eripienda virgine absumi potuisse, ita ut adveniente Demea exorta rixa propter magnas illas difficultates per longum tempus traheretur. Hanc autem discrepantiam vix evitare potuit Terentius, si retento, quantum fieri posset, Menandri argumento ipsam meretricem in proscenio ereptam ostendere voluit. Quodsi poeta Romanus, cum nihil magis studeret quam ut fabulas suas Romanorum iudiciis probaret eorumque stomacho accommodaret,[16])

---

est. Guyetus „colapho impacto", Westerhovius „collo (!) infracto" legi maluerunt. Sed vides non opus esse his coniecturis. Nescio autem an recte Guyetus eo loco Terentiano legendum esse censeat: „colaphos impegit (v. impingere) mihi", quae emendatio satis facilis dicenda est. Possis etiam scribere: „colaphos inflixit mihi".

[16]) cf. Könighoff. „De ratione Terenti cet." pag. 27 sq.: „Spectatorum studia curare quantam vim atque momentum habuerit in Terentii fabulis dici vix potest. Videbat cotidie atque adeo expertus sciebat, quibusnam rebus plebecula gauderet. Nemini autem mirum esse poterit populum, cuius numero multo plures studio stupidi in pugile aut funambulo animos occuparunt (cff. Hec. prol. I. v. 4 sqq., prol. II. v. 25 sqq.) mediamque inter fabulam ursum poscunt, atque earum rerum exspectatione foras exeunt, in scena quoque si tumultus quidam et strepitus excitatur, maiorem in modum delectari, sedatam rerum expositionem et narrationem aspernari ac respuere. Quae si tenueris, facile erit ad intelligendum, unde factum sit, ut Terentius multis in rebus ab exemplari quod sequebatur sibi duxerit recedendum esse, etiamsi a poeta Graeco eas male institutas a se melius institutum iri non semper sibi, rem per se si spectas, persuaserit. Iudiciis studiisque multitudinis id condonandum erat. Neque hoc esse, quod ei exprobrari vitioque verti possit arbitror, modo ne laudis hinc captandae ita avarum fuisse appareat, ut ipsius artis musicae proditor desertorque (!), ut ita dicam, exstiterit." —

in hanc neglegentiam incidit, non est, quapropter ei vitio hoc tribuere merito possimus. Neque vero haec ipsa neglegentia tam magni momenti esse videtur. Nam qui spectabant vix offenderunt in hoc rerum atque argumenti ordine neglecto, praesertim cum Demeae vehementem illam narrationem continuo insequeretur Aeschini cum lenone isto difficillima rixa, quae tam turbulenta et clamosa fuit, ut omnium animos in se converteret totos. Deinde Demea id potissimum Micioni probro dederat: Aeschinum „inruisse in aedes alienas atque dominum ipsum et omnem familiam mulcasse usque ad mortem mulieremque eripuisse", in proscenio autem ostenditur Aeschinus spectantibus talis maxime, ut virginem ereptam, quamvis adversante lenone, domum suam deducere studeat. Neque tamen ipsum Donatum fugit in rerum connexu aliquid difficultatis inesse. Quod eis indicat, quae II. 1, v. 5 ad Aeschini verba haec:

„Quamquamst scelestus (Sannio), non committet, hodie umquam iterum ut vapulet."

adscripsit: Iterum ut vapulet. „minaciter poeta priorem litem sustulit, dicendo iterum, ut non eadem lis esset, de qua supra (I. 2, 8 sqq.) Demea questus est: sed instaurata nascatur". Donatus igitur censere videtur Terentium vocabulo „iterum" addito rerum ordinem servasse. Sed ne ita quidem omnia, quae in illa fabulae parte aguntur, aequabili, ut ita dicam, filo decurrere unusquisque intelleget, qui eam partem arte quadam tractatam attente perlegerit. — Quod denique Aeschinus II. 4, v. 1 vehementer vociferatur his verbis: „ubi est ille sacrilegus?" (lenonem dicit), videtur id quoque mihi satis superque indicare duarum fabularum partes eo loco a poeta esse coniunctas. In Menandri quidem fabula recte adulescens ita interrogavit, quippe qui nondum cum lenone altercatus esset, in latina autem fabula res paullo aliter se habet. Nam vidimus in Terenti Adelphis Aeschinum modo reluctante vehementer Sannione meretricem domum abduxisse. Satis igitur notum fuit adulescenti lenonem esse foris, et spectantium unusquisque noverat lenonem paullo ante ab Aeschino indignantem atque lamentantem foris esse relictum. Itaque dum apud Terentium Aeschinus omnia, quae ad lenonis condicionem pertinent, plane scit, videtur in Menandri fabula a servo quodam, fortasse a Syro, audivisse lenonem ante aedes clamantem advenisse, quo audito statim foras egressus invectus est in difficilem istum hominem et molestum verbis satis quidem violentis his: „ubi est ille sacrilegus?" Haec strepens in graeca adulescens primum prodiit in proscenium, cum leno apud Menandrum ad Micionis senis aedes accessisse videatur ita, ut enarrata iniuria ab Aeschino sibi illata argentum pro virgine illa vi sibi erepta magno clamore flagitaret. Quo facto et totius fabulae argumentum integrum erat et actionis singula recte se habebant. Nam quod spectantium interest scire Aeschinum non sibi ipsi, sed Ctesiphoni

---

Et Iberus in dissertatione „de Volcati Sedigiti canone" — Monast. 1865 — de hac poetarum Romanorum ratione (pag. 7 sqq.) haec habet: „Ex discrimine ingenii et eruditionis Graecorum et Romanorum elucet non idem poetis utriusque populi in conscribendis suis fabulis fuisse observandum, si sui populi favorem capere vellent. Graeci enim eruditi virtutem fabulae non tam ex sensuum, quem praebebat, affectu, quam ex descriptione iusta morum atque ex serie nexuque rerum et actionum fabulae, ut omnes inter se aptae colligataeque viderentur, censebant, quare eorum poetae arti sufficere summopere studere debebant; Latini vero poetae, cum non coram erudito populo, sed rudi plebe agerentur fabulae, quae magis delectari quam eruditi volebat, hunc sibi proponebant finem, ut commotione sensuum et affectuum spectatores tenerent (vel moverent τὰ πάθη)" cet.

fratri psaltriam illam paravisse, Ctesipho ipse paullo inferius (II. 3, v. 8 sq.) gaudio exsultans Syro enarrat:

. . . . „illius (Aeschini) opera, Syre, nunc vivo,
Qui ignominias sibi post putavit esse prae meo commodo,
Maledicta, famam, meum laborem et peccatum in se transtulit."

Iam nunc, postquam quae a Terentio e Diphili comoedia in latinam Adelphos inserta sunt, definivimus, paucis in reliquum fabulae argumentum inquirendum est, quod secundum Menandri fabulam expressum est. Atque in universum quidem Grauertus (pag. 136 sqq.) et Ihnius (quaestt. pag. 27 sqq.) satis diligenter et accurate demonstrarunt Terentium Menandri vestigia pressisse. Reliquum est igitur, ut quibus locis ab eorum sententia discedendum esse videatur, brevi doceam.

Ac primum quidem quae Donatus ad Micionis sermonem, I. 1, v. 18, 19: „quod fortunatum isti putant, uxorem numquam habui" Menandrea affert[17]): *ὦ μακάριόν με, γυναῖκα οὐ λαμβάνω* (nescio an legendum sit ita: *ὦ τρὶς μακαρίον μ' ὃς γυναῖκ' οὐ λαμβάνω*[18]), a Terentio illis Micionis verbis reddita esse probari non potest, quamquam Meinekius, Grauertus, alii ita factum esse censuerunt. Nam recte Ihnius monet verba, quae apud Donatum leguntur graeca, parum apta esse videri placidae et quietae Micionis senis orationi. Neque mihi ille versus graecus, licet Menandri sit, Terentiani exemplum fuisse videtur. Si enim ea, quae Donatus ad Micionis Terentiani verba adscripsit, accurate consideraveris, intelleges eum hoc loco exemplis nonnullis cum Romanis tum graecis allatis docere, quid Romani quidque Graeci iudicaverint de uxore ducenda. Inter eas autem sententias, quas depravatas quidem corruptela Donati commentarius habet graecas, is quoque unus aliquis Menandri versus est, qui cum in nostrum locum non conveniat, tamen ita est comparatus, ut in multis aliis Menandri fabulis locum habere potuerit.

Deinde nihil certum videtur dici posse de eo fragmento, quod Stobaeus in florilegio (Meinek. fragm. comic. graec. IV. pag. 69) ita exhibet:

νὴ τῷ προθύμως τἀξιούμενον ποιῶν
κηδεμόν' ἀληθῶς, οὐκ ἔφεδρον ἕξεις βίου,

cum versus latini, qui his conferri solent, Ad. I. 1, 47 sq.:

„Ille quem beneficio adiungas ex animo facit,
Studet par referre, praesens absensque idem erit"

admodum dissimiles sint et Stobaeus nomen fabulae, unde illud decerpsit, non adiecerit. Idem mihi dicendum esse videtur de eis, quae Stobaeus (apud Meinek. pag. 70) Menandri affert:

οὐ λυτοῦντα δεῖ
παιδάριον ὀρθοῦν, ἀλλὰ καὶ πείθοντά τι, —

[17]) Donati commentarius exhibet haec: Et quod fortunatum isti putant. Romani scilicet, qui coelibem quasi coelitem dicunt. Et item Graeci, apud quos sunt huiusmodi sententiae . . . . . Et alibi . . . . . Dicit autem (Terentius) Romanis id videri, quos spectatores habet. Menander: *ὦ μακάριόν με, γυναῖκα οὐ λαμβάνω.*

[18]) Meinekius l. c. pag. 6: *ὦ τρίς με μακάριον, γυναῖκ' οὐ λαμβάνω.*

ad quae hi versus Ad. I. 1, 32 sq.:

„Pudore et liberalitate liberos
Retinere satius esse puto quam metu"

prope accedunt. Sed cum fabulam graecam non nominarit Stobaeus et sententia multis aliis locis apta sit, res relinquenda erit incerta. Aliis quibusdam versibus, quos Stobaeus in Menandri Adelphis exstitisse docet, (Meinek. l. c. IV. pag. 70):

οὐ παντελῶς δεῖ τοῖς πονηροῖς ἐπιτρέπειν,
ἀλλ' ἀντιτάττεσθ'· εἰ δὲ μή, γ' ἄνω, κάτω
ἡμῶν ὁ βίος λήσει μεταστραφείς ὅλος —

similes quidam Terentianae fabulae versus qui respondeant non adsunt. Inde concludere licet poetam latinum eius modi sententias, quae generali quadam vi instructae et in proverbiorum modum propositae essent, consulto omisisse, cum fabularum argumenta Romanorum iudiciis accommodare studeret. Non abhorrent autem illi versus ab Hegionis ingenio, qui III. 4, v. 8 Getam, servum illum fidelissimum ita consolatur, ut libenter ei auxilium promittat. Dicit enim:

„Nisi facient (Aeschinus et Micio) quae illos aequomst, haud sic auferent".

Fieri potuisse, ut apud Menandrum Sostratae frater, (is enim in graeca Hegionis Terentiani partes egit),[19]) ad sententiam suam clarius denotandam versus illos adderet, neutiquam nego.

Neque tamen Terentius tanta cura atque diligentia graeca vestigia secutus est, ut nihil omnino mutare ausus sit.[20]) Adsunt enim in hac quoque fabula indicia satis luculenta, quibus intellegitur multa ipsius poetae ingenio tribuenda esse neque ipsum prorsus in graecae argumenti, ut ita dicam, servitutem se addixisse adeo, ut caeca quadam imitatione exemplum suum expresserit. Eleganti igitur iudicio usus mutavit ea, quae, cum graecis placerent auribus, tamen spectatoribus Romanis non aeque probatum iri sibi persuasisset poeta.

Ut igitur a metrica ratione exordiamur, constat Terentium multis locis metra graecae non retinuisse. Cuius rei testimonio est versus ille, quem Photius v. *σκυθρός* e Menandri fabulis servatum exhibet (Meinek. fr. com. gr. IV. pag. 72):

ἐγὼ δ' ἀγροῖκος, ἐργάτης, σκυθρός, πικρός,
φειδωλός.

qui exemplum fuit Terentiani V. 4, 12:

[19]) Donatus ad III. 2, 53: Atque Hegioni. Apud Menandrum, inquit, Sostratae frater inducitur.

[20]) cf. Lessing. Hamburg. Dramaturgie, Stück 99: „Möchten wenigstens nur diejenigen Stücke des Menander auf uns gekommen sein, welche Terenz genutzet hat! Ich kann mir nichts Unterrichtenderes denken, als eine Vergleichung dieser griechischen Originale mit den lateinischen Kopieen sein würde. Denn gewiss ist es, dass Terenz kein blosser sklavischer Übersetzer gewesen. Auch da, wo er den Faden des Menandrischen Stückes völlig beibehalten, hat er sich noch manchen kleinen Zusatz, manche Verstärkung oder Schwächung eines und des anderen Zuges erlaubt; wie uns deren verschiedene Donatus in seinen Scholien angezeigt. Nur schade, dass sich Donatus immer so kurz und öfters so dunkel darüber ausdrückt, (weil zu seiner Zeit die Stücke des Menander noch selbst in jedermanns (?) Händen waren), dass es schwer wird über den Werth oder Unwerth solcher Terenzischen Künsteleien etwas Zuverlässiges zu sagen."

Ego ille agrestis, saevos, tristis, parcus, truculentus, tenax —
sed ita, ut poeta latinus pro iambico, quod in graeca fuit, trochaicum metrum usurparit.[21])

Aliud deinde inter graecam et latinam fabulam intercessisse discrimen docent ea, quae Suetonius in P. Terenti vita (vid. Fleckeisen. edit. Terent., Lips. 1871, pag. 4, 12.) memoriae prodidit: „Adelphorum, inquit, principium Varro etiam praefert principio Menandri". Cur ita iudicaverit Varro quidque ita iudicans respexerit, est profecto quod dubitare possis. Utrum hoc de prima tantum fabulae scena intellegi voluerit, quam Terentius omissis non necessariis in brevius contractam melius instituerit — quod idem in Eunuchi exordio fecit, — an ea mutatio in aliis rebus posita fuerit, id quidem non satis liquet. Equidem censeo fieri potuisse, ut paucis tantum mutatis Varro Terentianae exordium Menandreae praeferret. Si autem illud „principium" paullo latius patere statuimus, non est causa, quapropter negare possimus illa, quae e Diphili comoedia est, parte latinae inserta huius exordium Varroni magis placuisse quam graecae. Grauertus quidem (Anal. pag. 145) et Hermannus (pag. III.) utriusque fabulae exordium constituerunt diversissimum, cum quae Terentius mutasset in maioribus rebus posita fuisse censerent. Sed cum eius, quae Diphili est, partis fines multo artiores invenerimus et inter utriusque fabulae argumentum similitudinem haud mediocrem intercessisse demonstraverimus, Hermanni de Adelphon exordio sententiam ferri non posse perspicuum est. Videamus igitur, num quid Donato duce de latinae a graeco discrepanti principio enucleare possimus. Testatur autem Donatus Terentium in ipso fabulae exordio, ubi fratrum senum mores declarantur vitaeque rationes dissimillimae ostenduntur, ab exemplo graeco recessisse. Demea igitur postquam de Aeschini recentissimo facinore certior factus est, summopere indignabundus et convicians in scenam producitur, ubi a Micione fratre his amicis verbis comiter excipitur: „salvom te advenire, Demea, gaudemus." Ad quae nihil eiusmodi respondet Demea, sed statim obiurgandi initium facit his: „hem opportune, te ipsum quaerito." Deinde „inclamat, testatur deos atque homines, quod dissolutus, quod intemperans, quod vinosus, quod nullius bonae rei Aeschinus foret, omnem in Micione uno haerere culpam. Diis gratias agere, quod ille saltem, quem ipse ruri haberet, frugi esset ac temperans, rei studeret et famae, illarum rerum nihil ne cogitaret quidem: tantum videlicet interesse inter suam et fratris disciplinam". — Quod ad hanc senis clamosam orationem Donatus adscripsit: „melius quam Menander, cum hic illum ad iurgium promtiorem quam ad resalutandum faciat," his ipsis indicare videtur Demeam in Menandri fabula Micioni salutanti reddidisse salutem neque vero ad obiurgandum ita fuisse paratum ut apud Terentium. Inde non temere colliges Varronem, ut latinae exordium praeferret eo esse permotum, quod Terentius moribus senis accurate exprimendis in ipso fabulae exordio eximiam operam navavit. Quod idem in fabulae exitu illustrando atque explicando maximi momenti erit, ubi poeta Micionis ingenium constantius Menandro servasse videtur. Constat autem testimoniis gravissimis Varronem in Terenti fabulis id potissimum admiratum esse, quod poeta in eleganti et acuta quadam morum notatione artem et diligentiam collocarit atque per totam fabulam servarit ἤθη Graeci quae vocant. Itaque

---

[21]) Plura collegit atque disposuit exempla Könighoffius l. c. pag. 8 sqq.

Nonius v. poscere hanc affert Varronis sententiam: „In argumentis Caecilius poscit palmam, in ἤθεσιν Terentius, in sermonibus Plautus.“ Et Charisius instit. gr. II. pag. 247, 27 (K.): „ἤθη, ut ait Varro, nulli alii servare convenit quam Titinio et Terentio.[22])

Eodem studio, quo cuiusque personae mores atque ingenium verissime exponere voluit, poeta eo perductus esse videtur, ut II. 4, v. 11 Ctesiphonis dolorem leniret acerbitatemque eius mitigaret. Nam Donatus tradidit apud Menandrum mori voluisse Ctesiphonem, quem Terentius fugam tantum parasse fingat; quae res indicio est Terentium mores observantem discessisse nonnumquam ab exemplo graeco. Eandem secutus rationem III. 2, 53 pro Sostratae fratre, qui fuit in graeca, Hegionem, Pamphilae cognatum quendam maluit introducere. Cognatum autem aliquem summo studio hominum inopum atque derelictorum rem suscipientem atque ab iniuria defendentem maiore dignum esse laude quam ipsum fratrem eadem facientem perspicuum est.

Denique Donato teste in Menandri fabula non idem exitus fuit, qui in latina exstat. In hac enim Micio senex, in V. 8 scena, Demeae atque Aeschino, qui eum ad nuptias ineundas impellunt, summa indignatione adversatur et reluctatur, quod in graeca non eodem modo actum fuit. Nam Donatus ad V. 8, v. 15 docet Terentium hac in re a Menandrea fabula discessisse, cum dicit: „apud Menandrum senex (Micio) de nuptiis non gravatur, ergo Terentius εὐφεμιστικῶς.“ Quae Donati verba cum ex omni memoria diversissimas doctissimorum hominum interpretationes moverint, paucis exponendum erit, quomodo intellegenda sint. Colmannus igitur (cf. Lessingi „de rebus scenicis Hamab.“ pars 100) pro certo habet his ipsis verbis „apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur“ Donatum indicare in graeca senem non tanto opere matrimonium respuisse atque repudiasse neque tam vehementer restitisse atque adversatum esse iniquis et temerariis Demeae et Aeschini precibus. Lessingius autem prorsus alia invenit, cum sibi persuaserit hac Donati adnotatione apparere apud Menandrum senem omnino neque provocatum neque impulsum ad uxorem ducendam fuisse, sed omnia haec esse ficta atque fabulae exornandae causa addita a poeta latino. Sed contra Lessingium rectissime Grauertus (Anal. pag. 146) demonstravit Colmanni interpretationem solam esse veram, cum gravari idem fere sibi velit quod adversari, reluctari. Quem secutus est Könighoffius, l. c. pag. 17, qui recte vidit scholiasten hoc verbum usurpasse eadem fere vi, qua eiusdem scenae v. 19 instructum est, ubi legitur: „ne gravere“, quod Donatus explicat: „ne te difficilem praebeas“. Itaque Könighoffius mea quidem sententia suo iure: „Quamobrem, inquit, non possum, quin huius scholii hanc sententiam esse putem: Menander senem, cum ab eo ut Pamphilae matrem duceret, peteretur, non ita gravate agentem sed satis facilem petentibus se praebentem fecerat. Scilicet poeta graecus hic quoque ἦθος Micio-

---

[22]) cf. Iberi dissert. „de Volcati Sedigiti canone“, qui accurate quantum satis et diligenter quaesivit, quaenam vis τῷ πάθει et τῷ ἤθει tribuenda sit. Recte mihi videtur Iberus demonstrasse Volcatium, cum decem poetarum Romanorum comicorum suum cuique locum assignaret, maxime respexisse τὸ πάθος (affectus) et τὸ ἦθος (mores), ita ut illi, quorum fabulae spectantium animis affectibusque commovendis aptae viderentur, poetae praeferrentur ceteris, „quibus alius esset finis in fabulis conscribendis“ (cf. pag. 4 sqq.) — Veterum scriptorum de Terenti ingenio testimonia collecta atque in certum ordinem redacta praeter Iberi dissertationem, pag. 33 sq., exhibent Engelbrechti „Studia Terentiana“, Vindobonae 1883. pag. 7 sqq.

nis servandum censuit, et qui semper omnibusque fere facilis erat aliorumque voluntati morem gerebat, hunc Demeae fratris eiusque filii precibus haud ita difficulter cedentem induxit. Aliter visum est poetae latino. Hic quoque fecit senem tandem exorari atque vinci, sed multum antea restitantem et reluctantem, et haud scio an hoc videri possit gravissimis argumentis factum esse v. 15, ad quem ipsum scholiasta illud adnotavit:

Ego novos maritus anno demum quinto et sexagesimo
Fiam atque anum decrepitam ducam? idne estis auctores mihi?

Terentius autem quod ita actionem aliquo modo dilatavit mirum non erit." — Non dubium igitur videtur esse, quin Donatus illud „gravatur" mutuatus sit a v. 19: „ne gravere", quibus Aeschinus patrem blandissime exorare studet.[23])

Neque vero Könighoffius me assentientem habet quod censet Menandrum Micionis senis mores diligentius et accuratius observasse quam Terentium. Tantum enim abest, ut illud senis in re satis aliena nimium obsequium moribus eius, quales ex reliqua fabula cognoscuntur, conveniat, ut poetam latinum Micionis ingenium liberale moresque ingenuos multo constantius et verius expressisse censeam quam Menandrum. Ostendit igitur Terentius hoc quoque loco magnam illam in moribus describendis diligentiam (ἦθος servat). Nam cum Micionem per totam fabulam hominem humanissimum et liberalissimum finxerit, veri similius est senem sexaginta quinque annorum diu reluctantem atque restitantem tandem aliquando gravissimis cedere precibus atque obtestationibus, quam (ut apud Menandrum) non gravantem facile rem satis alienam admittere.

Restat, ut paucis disputemus de ea, quam Guil. Fielitzius de Menandri Adelphon exordio atque exitu sententiam proposuit in Fleckeiseni annal. litt. antiq. 1868, vol. 97, pag. 675—682, cum quae ibi eruditissimo viro visa sunt ab eis, quae nos de utriusque fabulae argumento huc usque statuimus, magnopere discrepare videantur. — Ac primum quidem ad liquidum perducere studet F., in quanam utriusque fabulae diversitate Varronis latinae exordium praeferentis sententia posita fuerit. Id ita enucleari posse censet, ut demonstrare velit scenae primae priorum versuum in Menandrea aliam fuisse speciem atque apud Terentium. Nam pro explorato habet ea, quae Micio in ipso fabulae exordio de cena et Aeschino filio absente loquitur, in graeca locum habere non potuisse, quippe cum Menander adulescentem cum psaltria illa non coram spectantibus redeuntem fecisset. In Menandri Adelphis igitur adulescens II. 4, 1 demum („ubi est ille sacrilegus") in proscenium prodiit, cum partem illam, qua lenoni psaltria erepta est, in graeca non fuisse supra demonstratum sit. Sed F. negat fieri posse, ut persona, quam spectantes in primo actu domo absentem noverunt, in altero actu in proscenium producatur ita, ut antea neque ipsa in publicum emerserit neque de reditu eius verbis quidem expositum sit. Inde colligit atque constituit apud Menandrum Aeschinum in fabulae exordio domi fuisse, quippe qui in graeca non inductus esset mulierem ereptam domum abducturus. Micionem autem recentissimum Aeschini facinus, antequam Demea rure advenisset, resciisse iam et in prima fabulae scena in proscenium ita prodiisse, ut de hac re exponendi initio capto uberius rationem suam lenissimam „pudore et liberalitate" liberos in officio retinendi pro-

[23]) cf. Teuffeli „Studien und Char.", pag. 285.



posuisset. Brevi afferam quae contra hanc sententiam mihi pugnare videntur. Ac primum quidem monendum est, quae de cena et de Aeschino absente Micio dicit, obiter tantum haec a sene commemorari. Quae deinde de personarum in fabulis agentium condicione atque regula Fielitzius allatis exemplis probare studet (l. c. pag. 676, adnot. 4) non quadrare videntur in nostrum locum, quia Aeschinus omnino nondum in proscenio conspectus est, intercesserunt autem, cum postea domo exit, actus interstitia. Omnes illae difficultates mihi nullae iam esse videntur, si ponimus in graeca lenonem (ll. 1), quem apud Menandrum actus II. initio introductum fuisse supra probasse mihi videor, de rixa sua cum adulescente et de Aeschini reditu verbis quantum satis expressis spectantes fecisse certiores. Quod vero F. existimat Micioni iam in fabulae exordio omnia, quae ad Aeschini spectant condicionem recentissimam, cognita fuisse errare videtur. Nam in illo sermone nihil est, quo haec niti possit sententia: prorsus autem nova atque inaudita Demeam narrasse fratri documento sunt ipsius Micionis verba haec (I. 2, v. 70 sqq.):

. . . . . postremo nuper (credo iam omnium
Taedebat) dixit (Aeschinus) velle uxorem ducere.
Sperabam iam defervisse adulescentiam:
Gaudebam. ecce autem de integro!

His breviter expositis intellegitur Micionem de Aeschini facinore apud Menandrum non prius edoctum fuisse quam apud Terentium. Hoc quoque considerandum est, quod Aeschinus solito diutius domo abest, id ipsum patri sollicito praebere copiam profitendi, quanto filii ducatur amore — quae omnia senis moribus illustrandis necessaria sunt. Quod denique F. Hermanni sententiam (l. c. pag. IV. adnot. 16) amplexus censet, quae I. 2, 3 Micio, ubi advenientem Demeam ira incensum atque obiurgantem cognovit, dicit: „dixin hoc fore?“ ea esse indicio patri novissimum Aeschini facinus iam notum fuisse, intelleges non recte se habere, si ea, quae paullo ante (in proximae scenae fine, I. 2, 54) senex dixit, consideraveris. Nam si ibi verbis his: „Credo iam, ut solet, iurgabit“ usitatam fratris obiurgationem suspicatus est, his additis: „dixin hoc fore?“ indicat se verum dixisse: iurgabit, ut solet, ut eius mos est, qualem saepe et cotidie experior. Itaque non possunt efficere haec verba, ut apud Menandrum senem omnem rem iam habuisse compertam credamus. Et liquet Donatum quoque senis verba in eundem sensum accepisse cum dicit: „Dixin hoc fore? — Credo iam, ut solet, iurgabit“.

Quae cum ita sint, non recte mihi videtur F. causam, cur Varro Menandreae fabulae principium latinae exordio posthabuerit, inde repetiisse, quod poeta latinus in prima fabula senis alterius sermonem paullo aliter instituerit, neque tamen magis mihi probavit quam de graecae exitu (pag. 677) proposuit sententiam. Nimirum enim, quae Terentianae fabulae scenam V. 3 sequuntur, omnia haec profecta atque addita esse iudicat ab ipso poeta latino, non fuisse autem in graeca Menandri, cum dicit: „Es ist mir ein Bedürfnis, an einer anderen Stelle den Ruhm der Menandrischen Poesie von einem Flecken zu säubern, mit dem der „dimidiatus Menander“ den echten verunreinigt hat. Mit dem Ende des vierten (Fleckeisenschen) Aktes ist die Fabel unseres Stückes zum Abschluss gekommen; die Heirat des Aeschinus hat die Zustimmung beider Väter gefunden, Demea ist besänftigt und wird am folgenden Tage mit dem frühesten sich mit

seinem Sohne und der psaltria aufs Land zurückziehen, und wenn nach dem letzten Verse des Micio:

„I ergo intro, et cui rei est, ei rei hunc sumamus diem"

der Cantor mit dem „plaudite" schlösse, so könnten wir dieser Aufforderung im Bewusstsein, ein nach Kompositon und Zeichnung uns durchaus befriedigendes Stück gelesen zu haben, aus voller Überzeugung nachkommen. Statt dessen werden wir noch einen ganzen Akt (?) hindurch mit allerlei kleinen und grossen Gunstbezeugungen unterhalten, die ganz natürlich mit der Heirat und der schliesslichen allgemeinen Aussöhnung zusammenhangen, die aber weit wirksamer der ausmalenden Phantasie der Zuschauer überlassen blieben und die um so mehr unsere Verwunderung erregen, als sie gerade von dem ausgehen, von dem man sie am wenigsten erwartet, von Demea".

Haec ita comprobare studet vir eruditissimus, ut quae Donatus his verbis „apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur" indicat, Lessingi interpretationem secutus contendat valere hoc: „apud Menandrum seni nullam exhiberi molestiam propter nuptias", i. e. illud quod ad matrimonium ineundum pertinet a Menandro auctore omnino non profectum esse, sed a Terentio additum, — quam interpretationem paullo superius argumentis gravibus, quantum satis, reiecimus. (cf. ea, quae Könighoffius l. c. pag. 16 sqq. exponit.) Omnem autem fabulae ultimam illam partem a Menandreae abhorrere putat argumento ob eam maxime causam, quia persuasit sibi repentina illa animi atque necopinata facta conversione superare Demeam Micionis aeque humanum ac liberale ingenium, cuius mores vitaeque rationem poeta in omni reliqua fabula summa laude digna et maxima quidem diligentia descripserit. Etiamsi concedo in hac Demeae morum descriptione aliquid inesse offensionis, tamen haec omnia ab adversario doctissimo sagacius quam verius proposita esse poetae partibus susceptis me demonstraturum confido, si paullo accuratius investigaverimus, quales in illa fabulae parte senum describantur mores. Nam hoc mihi videtur probari posse Demeam non minus propter novam illam atque a pristinis sordibus prorsus abhorrentem benevolentiam et largitatem risum movere spectantibus quam antea propter nimiam morum severitatem indignationem et odium sibi paravit. Profitetur autem ipse (V. 4) se cum fratris sui et Aeschini exemplo tum Ctesiphonis filii vitae ratione perversa edoctum esse non recte a se institutam esse priorem vitam. Nimirum intellexerat „rem aetatem usum semper aliquid novi adportare et aliquid monere", ita ut meliore accepta cognitione „vitam duram, quam usque adhuc vixerat, prope iam excurso spatio" omittere velit. Gravissimam, cur ita facturus sit, addit causam, dum pronuntiat:

„Re ipsa repperi
Facilitate nil esse homini melius neque clementia.
Id esse verum ex me atque ex fratre cuivis facilest noscere.
Ille suam semper vitam egit in otio, in conviviis,
Clemens, placidus, nulli laedere os, adridere omnibus:
Sibi vixit: sibi sumptum fecit: omnes bene dicunt, amant.
Ego ille agrestis, saevos, tristis, parcus, truculentus, tenax
Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii,

Alia cura: heia autem, dum studeo illis ut quam plurimum
Facerem, contrivi in quaerundo vitam atque aetatem meam:
Nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab eis fero,
Odium: ille alter sine labore patria potitur commoda.
Illum amant, me fugitant, illi credunt consilia omnia,
Illum diligunt, apud illum sunt ambo, ego desertus sum:
Illum ut vivant optant, meam autem mortem exspectant scilicet."

Videmus igitur senem rationibus moveri haud mediocribus, ut vitae condicionem mutare velit optetque, si fieri possit, ut eisdem quibus Micio fruatur commodis, eisdemque delectetur gaudiis cum pergat:

„Ego quoque a meis me amari et magni fieri postulo.
Si id fit dando atque obsequendo, non posteriores feram".

Sed vitae eius conversa ratio num ita est comparata, ut verum suorum amorem inde sibi conciliare possit? Alieni isti mores nonne quo longius a senis severa prioris vitae consuetudine recedunt, eo uberiorem spectantibus excutiunt risum, quos tam mira ingenii mutatione necesse est delectari? Ipsa experietur re tam brevi tempore vel „blande dicendo, benigne faciendo, dando atque obsequendo" verum non posse parari amorem, cum qui fuerit antea unusquisque noverit. Prava fuit senis nimia severitas, sed nonne simulata haec liberalitas atque affabilitas etiam pravius? Num potest persuadere Syro? immo vero nugari huic atque ineptissime videtur iocari (V. 5.) Nonne ridiculum est, quod vel cum laudibus effert, cuius nomen nesciat? (V. 6. 3 sqq) praesertim cum illud semper adiungat: se contra morem suum et praeter naturam facere (cf. V. 5, 3: Optimest. iam nunc haec tria primum addidi praeter naturam: o noster, quid fit? quid agitur?). Quod deinde Aeschino, cui nuptiarum illi apparatus molestissimi sunt, (V. 7, 1 sqq.) facile persuadet, ut missis ambagibus domum quam celerrime ducat Pamphilam uxorem, nihil hoc habet absurdum et Micio plane cum eo consentit (V. 8, 5 sqq.) Tum quod Micio diu repugnans atque reluctans tandem filii precibus atque obtestationibus dilectissimi cedens promittit se Sostratam ducturum non prorsus inaudita res est; qui quidem, ubi eius mores vitaeque ratio supra proposita sunt (I. 1), non beatum se praedicaverat ipse, quod non duxisset uxorem, sed caute his usus erat verbis: „quod fortunatum isti putant, uxorem numquam habui." Quod denique Syrum manu mittit, Hegioni agellum donat, non ultro quidem ita facit, sed Aeschino filio obsequitur supplicanti. Syro autem „aliquid prae manu dari" prorsus recusat (V. 9, 24.) Non igitur in fabulae exitu Micio ceteroquin humanus atque liberalis tam infirmum se praebet atque inconstantem, ut omni careat iudicio, sed quid faciat sibi conscius quem antea prae se tulerat animum reservat. Quod vero in fabulae fine ipse quoque Micio comoediae, ut ita dicam, suum tributum solvit nemini videbitur mirum, quoniam, aliter atque Demea, eosdem, quibus antea usus est, mores retinet. Si denique consideraverimus Micioni seni Aeschini filii adoptivi nuptiis neque exoptatius quidquam neque iucundius evenire potuisse (cf. I. 2, 7: „nuper dixit velle uxorem ducere. Sperabam iam defervisse adulescentiam: Gaudebam"), — non mirabimur quod mitem se atque lenem erga filium ostendit, cum cetera consulte agat et sibi constet Micio. Demea autem cum Aeschino, quid de Ctesiphone fratre futurum sit, interroganti respondet: „Sino, habeat (meretricem); in istac finem faciat", nimirum con-

cedit quod nemo fieri posse antea ausus est cogitare. Meliora edoctus intellexit ipsa re „nil esse homini melius facilitate neque clementia“ et fratris exemplo victum se profitetur. Micio denique, ubi rationi suae, quam per totam fabulam defendit, fratrem cedere videt, Demeam sibi nunc videri sapere testatur verbis his: „istuc recte“ (V. 9, 40.)

His de extrema fabulae parte expositis re ipsa mihi videtur probari Micionem I. 1, v. 32, 33 his verbis:

Pudore et liberalitate liberos
Retinere satius esse credo quam metu —

rectam sibi liberos instituendi atque educandi proposuisse rationem. Nam Aeschinus, quod eius disciplinae exemplum est luculentissimum, humanum prae se fert atque liberale ingenium et est insignis erga patrem amore atque pietate, Pamphilae autem eiusque familiae fidem praestat. Hoc ita esse optime docent ea, quae inter Micionis cum Aeschino filio colloquium aguntur IV. 5, quae fabulae pars non solum ad Aeschini ingenium pernoscendum plurimum potest, sed omnis huius fabulae et Menandreae poesis, ut ita dicam, pulcherrimus flos atque clarissimum lumen est. Ctesipho contra, quem metu pater continuerat, non tam amat patrem quam timet atque, ut haud aeque sinceri et candidi animi est, ita reliquis quoque ingenii facultatibus Aeschino fratri cedit. Tantum igitur abest, ut quae in fabulae exitu aguntur a Micionis ingenio aliena esse censeam, ut Demeae in contrarium versis moribus Micionis vitae rationi laudem parari haud mediocrem pro certo habeam. Quod vero Micio humanissimus ille atque liberalis „anno demum quinto et sexagesimo novus maritus fit“, certe hoc nonnihil habet ridiculi, neque tamen pravum prorsus et insanum est. Hic quoque Terentio primas deferendas esse censeo, quoniam senis ἦθος magis servavit atque retinuit. Nam cum in graeca seni sat fuit audivisse „Sostratam probam atque modestam esse et per annos non iam parere posse“, poeta latinus moribus Micionis constantius atque verius exprimendis operam dat. Quae cum ita sint, non recte iudicant mea quidem sententia, qui sic statuunt, Demeam vitae suae ratione vincere Micionis humanitatem. Intellexit autem Demea ipsa re nisi clementia atque liberalitate verum non posse parari amorem.[24]) — Restat ut dicam adesse testimonia, quibus eundem exitum Menandreae quoque fabulae fuisse efficiatur. Alterum est Photi testimonium, qui v. „σκυθρός“ servavit Menandri versum aliquem, cui accurate respondet latinae fabulae V. 4, v. 12; alterum Donati, qui V. 9, 28 vocabuli latini „prolubium“ exemplum affert graecum „προθυμίαν“.

Iam finem his pagellis impositurus liceat mihi Lessingi nostri de Adelphon Terentianae argumento proferre sententiam, quam in libro „de rebus scenicis Hamaburg.“ proposuit (Lessingi opera omn. ed. Lachmann. VII.) Is enim postquam pag. 319 sqq. et pag. 432 sqq. demonstravit utriusque et senis et adulescentis mores a poeta aeque accurate ac diligenter expressos esse et argumentum recte se habere, de fabulae

[24]) Ceterum quod Teuffelius (Studien und Char. pag. 288) iudicat Terentium in hac fabula faciendo hoc sibi proposuisse maxime, ut Scipionum vitae rationes moresque ingenuos Romanis ostenderet atque probaret, non recte videtur censere, quippe cum fabulae argumentum Menandri sit. Quod vero paullo interius habet vir eruditissimus: hac fabula effici omne nimium nocere modumque in omnibus rebus adhibendum esse — hac in re plane ei assentiendum esse puto.

exitu ita iudicat (pag. 439): „Wenn die verschiedenen Charaktere, welche ich in eine Handlung verbinde, nur diese Handlung zu Ende bringen, warum sollen sie nicht bleiben, wie sie waren? Aber freilich muss die Handlung sodann in etwas mehr, als in einer blossen Kollision der Charaktere bestehen. Diese kann allerdings nicht anders als durch Nachgebung und Veränderung des einen Theiles dieser Charaktere geendet werden; und ein Stück, das wenig oder nichts mehr hat als sie, nähert sich nicht sowohl seinem Ziele, sondern schläft vielmehr nach und nach ein. Wenn hingegen jene Kollision, die Handlung mag sich ihrem Ende nähern, soviel als sie will, dennoch gleich stark fortdauert: so begreift man leicht, dass das Ende eben so lebhaft und unterhaltend sein kann, als die Mitte nur immer war. Und das ist gerade der Unterschied, der sich zwischen dem letzten Akte des Terenz, und dem letzten unseres Verfassers (Romanus) befindet. Sobald wir in diesem hören, dass der strenge Vater hinter die Wahrheit gekommen: so können wir uns das Übrige alles an den Fingern abzehlen; denn es ist der fünfte Akt. Er wird anfangs poltern und toben; bald darauf wird er sich besänftigen lassen, wird sein Unrecht erkennen und so werden wollen, dass er nie wieder zu einer solchen Komödie den Stoff geben kann: desgleichen wird der ungerathene Sohn kommen, wird abbitten, wird sich zu bessern versprechen; kurz alles wird ein Herz und eine Seele werden. Den hingegen will ich sehen, der in dem fünften Akte des Terenz die Wendungen des Dichters errathen kann! Die Intrigue ist längst zu Ende, aber das fortwährende Spiel der Charaktere lässt es uns kaum bemerken, dass sie zu Ende ist. Keiner verändert sich; sondern jeder schleift nur dem andern eben so viel ab, als nöthig ist, ihn gegen den Nachtheil des Excesses zu verwahren. Der freigebige Micio wird durch das Manoeuvre des geitzigen Demea dahin gebracht, dass er selbst das Übermaass in seinem Bezeigen erkennet und fragt:

Quod prolubium? quae istaec subitast largitas?

So wie umgekehrt der strenge Demea durch das Manoeuvre des nachsichtsvollen Micio endlich erkennet, dass es nicht genug ist, nur immer zu tadeln und zu bestrafen, sondern es auch gut sei, obsecundare in loco."

Testatur igitur his verbis ille non intellegendi solum sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister in Terenti Adelphis fratrum senum mores per totam fabulam diligenter atque constanter a poeta esse adumbratos atque descriptos,neque adesse quidquam, quod ab eorum ingeniis vitaeque rationibus abhorreat.

Schulnachrichten.

I.

Unterrichtsplan.

Ober-Prima.

Ordinarius: Direktor Dr. Grosfeld.

1. Religionslehre. Für die katholischen Schüler: Wiederholung wichtiger Abschnitte aus der Glaubens- und Sittenlehre. Die Geschichte der christlichen Kirche bis zum 16. Jahrhundert. Grosfeld.

   Für die evangelischen Schüler: Lesung und Erklärung des Römerbriefes. Kirchengeschichte vom 16. Jahrhundert bis 1750. Glaubenslehre: Der 2 und 3. Artikel. Pfarrer Zwitzers.

2. Deutsch. Geschichte der Nationalliteratur der neueren Zeit; im Anschlusse daran Erklärung einzelner Musterstücke. Oden Klopstocks und Lessings Laokoon. Dispositionsübungen. Korrektur der Aufsätze. Grundbegriffe der Psychologie und Logik.

   Im Sommer-Semester: Dr. Darpe.
   Im Winter-Semester: Dr. Betke.

3. Latein. Tacit. Germania und Annal. lib. I. Cic. Tuscul. disp. lib. I; ausgewählte Abschnitte aus Sallust und Livius. Horat. carm. lib. III und IV. Wiederholungen aus der Grammatik und Stilistik. Übungen im Lateinsprechen. Korrektur der Aufsätze und der schriftlichen Übersetzungen ins Lateinische. Prof. Lucas.

4. Griechisch. Plat. Apol. und Criton; ausgewählte Abschnitte aus Thucydides. Hom. Il. lib. XVI—XXII. Soph. Oed. Colon. Grammatische Wiederholungen in Verbindung mit schriftlichen Übersetzungen. Grosfeld.

5. Französisch. Athalie par Racine. Histoire de la littérature francaise au moyen âge par J. Demogeot. Grammatik im Anschlusse an die Korrektur der schriftlichen Arbeiten. Prof. Lucas.

6. Hebräisch. Wiederholung und Ergänzung der Formenlehre und Syntax nach Gesenius. Übersetzung und Erklärung von Lesestücken aus dem Übungsbuche von Kautzsch. Dr. Betke.

7. Geschichte und Geographie. Geschichte des Mittelalters. Wiederholungen aus dem ganzen Gebiete der Geschichte in Verbindung mit geographischen Übersichten. Prof. Lucas.
8. Mathematik. Repetition und Vervollständigung der Trigonometrie und Stereometrie Wiederholungen aus den übrigen Gebieten der Mathematik nebst Übungen im Lösen von Aufgaben. Schriftliche Arbeiten. Pellengahr.
9. Physik. Die Lehre vom Gleichgewicht und von der Bewegung. Die mathematische Geographie. Pellengahr.

Unter-Prima.

Ordinarius: Oberlehrer Schulte.

1. Religionslehre. Wie in Ober-Prima.
2. Deutsch. Die wichtigsten Epochen des Entwicklungsganges der deutschen Literaturgeschichte, insbesondere die Zeit vor Klopstock, verbunden mit Lesung von Proben aus den Hauptwerken. Schillers Wallenstein. Korrektur der Aufsätze. Rhetorik mit angeknüpften Dispositionsübungen. Lohmann.
3. Latein. Cic. de officiis lib. I. orat. pro lege Manilia und pro Ligario; lib. de amicitia. Liv. lib. XXII. Schriftliche Stilübungen; Wiederholungen einzelner Teile der Syntax; Referate über das Gelesene. Korrektur der Aufsätze, Extemporalien und Pensa.
   Im Sommer-Semester: Dr. Darpe.
   Im Winter-Semester: Schulte.
   Horat. carm. lib. I und II. Grosfeld.
4. Griechisch. Xenoph. Cyrop. lib. III und IV; Thucyd. lib. I und II mit Auswahl. Hom. Il. lib. I—VIII. Schriftliche Übersetzungen in das Griechische und Deutsche.
   Im Sommer-Semester: Dr. Darpe.
   Im Winter-Semester: Schulte.
5. Französisch. Wie in Ober-Prima.
6. Hebräisch. Wie in Ober-Prima.
7. Geschichte und Geographie. Wie in Ober-Prima.
8. Mathematik. Die Zinseszins-, Amortisations- und Rentenrechnung. Die Trigonometrie und Stereometrie. Die kombinatorischen Operationen; der binomische Lehrsatz. Übungen im Lösen von Aufgaben aus den verschiedenen Gebieten der Mathematik. Schriftliche Arbeiten.
9. Physik. Wie in Ober-Prima.

Ober-Sekunda.

Ordinarius: ordentlicher Lehrer Lohmann.

1. Religionslehre. Für die katholischen Schüler: Die Lehre vom Dasein und von den Vollkommenheiten Gottes, von der Dreifaltigkeit, von der Erschaffung, der Erlösung und Heiligung. Grosfeld.

   Für die evangelischen Schüler: Wie in Ober-Prima.
2. Deutsch. Das Wichtigste aus der Poetik und Rhetorik, insbesondere die Lehre von den Tropen und Figuren. Einzelnes aus der Literaturgeschichte im Anschluß an die Lesung entspre-

Schulnachrichten.

I.

Unterrichtsplan.

Ober-Prima.

Ordinarius: Direktor Dr. Grosfeld.

1. Religionslehre. Für die katholischen Schüler: Wiederholung wichtiger Abschnitte aus der Glaubens- und Sittenlehre. Die Geschichte der christlichen Kirche bis zum 16. Jahrhundert.
Grosfeld.
Für die evangelischen Schüler: Lesung und Erklärung des Römerbriefes. Kirchengeschichte vom 16. Jahrhundert bis 1750. Glaubenslehre: Der 2 und 3. Artikel.
Pfarrer Zwitzers.
2. Deutsch. Geschichte der Nationalliteratur der neueren Zeit; im Anschlusse daran Erklärung einzelner Musterstücke. Oden Klopstocks und Lessings Laokoon. Dispositionsübungen. Korrektur der Aufsätze. Grundbegriffe der Psychologie und Logik.
Im Sommer-Semester: Dr. Darpe.
Im Winter-Semester: Dr. Betke.
3. Latein. Tacit. Germania und Annal. lib. I. Cic. Tuscul. disp. lib. I; ausgewählte Abschnitte aus Sallust und Livius. Horat. carm. lib. III und IV. Wiederholungen aus der Grammatik und Stilistik. Übungen im Lateinsprechen. Korrektur der Aufsätze und der schriftlichen Übersetzungen ins Lateinische. Prof. Lucas.
4. Griechisch. Plat. Apol. und Criton: ausgewählte Abschnitte aus Thucydides. Hom. Il. lib. XVI—XXII. Soph. Oed. Colon. Grammatische Wiederholungen in Verbindung mit schriftlichen Übersetzungen. Grosfeld.
5. Französisch. Athalie par Racine. Histoire de la littérature francaise au moyen âge par J. Demogeot. Grammatik im Anschlusse an die Korrektur der schriftlichen Arbeiten.
Prof. Lucas.
6. Hebräisch. Wiederholung und Ergänzung der Formenlehre und Syntax nach Gesenius. Übersetzung und Erklärung von Lesestücken aus dem Übungsbuche von Kautzsch. Dr. Betke.



7. Geschichte und Geographie. Geschichte des Mittelalters. Wiederholungen aus dem ganzen Gebiete der Geschichte in Verbindung mit geographischen Übersichten. Prof. Lucas.
8. Mathematik. Repetition und Vervollständigung der Trigonometrie und Stereometrie Wiederholungen aus den übrigen Gebieten der Mathematik nebst Übungen im Lösen von Aufgaben. Schriftliche Arbeiten. Pellengahr.
9. Physik. Die Lehre vom Gleichgewicht und von der Bewegung. Die mathematische Geographie. Pellengahr.

Unter-Prima.

Ordinarius: Oberlehrer Schulte.

1. Religionslehre. Wie in Ober-Prima.
2. Deutsch. Die wichtigsten Epochen des Entwicklungsganges der deutschen Literaturgeschichte, insbesondere die Zeit vor Klopstock, verbunden mit Lesung von Proben aus den Hauptwerken. Schillers Wallenstein. Korrektur der Aufsätze. Rhetorik mit angeknüpften Dispositionsübungen. Lohmann.
3. Latein. Cic. de officiis lib. I. orat. pro lege Manilia und pro Ligario; lib. de amicitia. Liv. lib. XXII. Schriftliche Stilübungen; Wiederholungen einzelner Teile der Syntax; Referate über das Gelesene. Korrektur der Aufsätze, Extemporalien und Pensa.
   Im Sommer-Semester: Dr. Darpe.
   Im Winter-Semester: Schulte.
   Horat. carm. lib. I und II. Grosfeld.
4. Griechisch. Xenoph. Cyrop. lib. III und IV; Thucyd. lib. I und II mit Auswahl. Hom. Il. lib. I—VIII. Schriftliche Übersetzungen in das Griechische und Deutsche.
   Im Sommer-Semester: Dr. Darpe.
   Im Winter-Semester: Schulte.
5. Französisch. Wie in Ober-Prima.
6. Hebräisch. Wie in Ober-Prima.
7. Geschichte und Geographie. Wie in Ober-Prima.
